



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XXXIV. Quòd directus fuit ad regendum Monasterium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

Virginibus in castimonia vitam communem agens defuncta est. Ipse autem prefatus Prior à devotis parentibus suis peroptimè educatus proficere in timore DE I, bonisque moribus non cessavit, nam ab ineunte ætatis suæ flore usque in finem vitæ semper devotus Christoque firmiter inhærens habebatur, & sicut ab æterno prævisum fuit, ut Religiosam vitam duceret, ad Monasterium Regularium Canoniorum B. Mariæ Virginis in Territorio Nobilium de Benthon situm à parentibus suis pro Ordinis susceptione mittebatur. Ubi gratiosè susceptus non longo transacto tempore ad Ordinis habitum promovetur, Religiosus verò factus, sancta simplicitas, & obedientiæ fervor in eo resplendentes, ut in virum perfectum cresceret, signa fuerunt manifesta, multis etiam ibidem exercitijs, & sui corporis castigationibus, nec non & in pauperpate, ut in Monasterio noviter inchoato consuetum est fieri, exercitatus fuit ac probatus. In prædictis namque ac alijs virtuosis exercitijs qualificatus DEO devotè & sinceriter intentus erat. Et ut eò securius in interioribus suis perseverare posset superflua consortia Fratrum devitans, cum his, qui interioribus vacare studuerunt, conversationem suam habere solitus erat. Quapropter dum quadam vice cum duobus alijs internis Fratribus devotam colloquutionem perfecerat, visa est albilissima columba eorum colloquio se commiscere, nec immeritò, nam isti tres Fratres divinis sic intenti omnes columbinæ simplicitatis exstiterunt, prædicti etiam tres Fratres, ut reor, non absque causa speciali unum idemque nomen, quod est *Arnoldus*, habuerunt. Arnoldus enim Teutonice voce *Arnold* sonat, quæ avis, sicut super alias aves altius volare solet, ita & prædicti Fratres præ ceteris suis Fratribus magis contemplativi habebantur.

C A P U T XXXIV.

Quòd directus fuit ad regendum Monasterium.

ET quia idem Frater tam in scientia, quàm spiritali vita multum profecerat, Venerabilis Prior morum gravitatem in eo diligenter considerans, Eumque utilem ac idoneum, ut alijs præesset, ad regendum judicans, quosdam Fratres sibi deputavit,

K 3

& ad

& ad regendum Monasterium in Ostfrisia , *Efsungen* nuncupatum (quod ad Regulares , ut reformaretur , tunc temporis recenter translatum fuit) supradictum Fratrem trans mittebat , ubi dum in vinea Domini per aliquod tempus viriliter laboraverat , aliquibus è Fratribus suis & familiaribus per pestem gravem decedentibus , & ipse apostemate percussus erat , quod dum Venerabili suo Priori nomine *Henrico Lodere* in suo proprio Monasterio *Northorne* fuit nuntiatum , idem Prior litteratorium mox mandatum remittens hoc scriptum in se continebat : *Præcipio tibi Frater , ne moriaris in hac peste.* Quæ litteræ à supradicto Fratre ut perlectæ , rumpebatur aposteina , & convaluit is , qui pridem infirmus fuit , nec mirum , nam in veritate & sinceritate obedientiæ quævis pestis locum sibi nullo modo potest usurpare . Quia verò prædictus Rector pro reformandis Monasterijs satis aptus habebatur , postquam præfatum Monasterium in Ostfrisia Dei gratia ad bonum perduxit statum , jussus sui Prioris alio in locum ejus substituto , ad reformationem Monasterij B. Mariæ Virginis in *Bödingen* Colonien sis Diæcesis cum quibusdam sibi sociatis Fratribus transitum facere non cessavit , & aliquantulo tempore dicto Monasterio immoratus , quod reformationem ejusdem per gratiam DEI magna ex parte fecerat , cunctis ibidem Fratribus innotuit manifestè , quales etiam & quantæ tribulationes circa reformationes supradictorum Monasteriorum jam dicto Rectori occurrerunt , quia longum esset enarrare , hic inferere prætermitto . Jam quia propter excellentia ac virtuosæ vitæ charitatem prædicti Rectoris aliquantulum à proposito narrationis fuit digressum , tempus est , ut ejus pios actus , quibus tempore , quo super Monasterium B. MEINULPHI in Apice Prioratûs constitutus fuit , inclaruerat , insuper & miracula , quæ eodem tempore per B. MEINULPHI merita ibidem contigerant , protentabo .



CAPUT